

QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS
MANE DISCVTIENDA
IN SCHOLIS MEDICORVM
Die Iovis 10. Martij.

M. NICOLAO RICHARD, Doctore Medico, Præside.

An vita nullis Medicinæ legibus adstricta brevior?

I.

AB unione animæ habemus quòd vita, cœlesti dono, fruamur, à permansione calidi cum humido quòd diû; hæc utraque qualitas in singulis viventibus excellens nunquam excedit, nec temperamentum æquo pondere libratum quæras. Attamen nec copiâ nimiâ redundare debet humor qui calorem obtundat, nec suprà modum exuberare calor qui ad humoris absumptionem citò festinet: Sed quò æquiori perfusione coierint, eò seriùs animal fati vices subit; hinc homo præ cæteris horum laudabiliorem nactus misturam, fœliciùs vitæ suæ pensa tractat, & tardiori pede calcitrat lethi fores: Contrà bos & equus, inter has vivificas qualitates non tàm æquabili sancito fœdere cum staturâ proceriore, citiùs dissolvuntur. Calor ille vitæ opifex non cum humore omni bene cohæret ac sociatur, sed ejus præsertim conjunctione teneri amat qui pinguis est, ac viscosus, suique fovendi capax, aqueum verò refugit, nec nisi ægrè sustinet, sic longioris ævi quæ oleum & resinam fundunt arbores, brevioris verò pisces quibus tenue & aqueum est humidum: At, crudele fatum! quod vitam efficit, eandem destruit; calor quo vivimus, igneam prorsùs naturam redolens, humidum sensim depeculatur ac depascit, sibique ipsi molitur ruinam, nec si hæc ad interitum causa sufficeret, præstò est altera quæ illum ac-

celerare haud paulò plurimùm ſolet, inevitabilis excrementorum proventus; hæc duplex ingenita nobis mortis cauſa, quas ſi effugere omnino non licet, licet tamen aliquatenus differre, ut cujus artis ſit id præſtare leges non ſecuti, fruſtrà de brevitate vitæ conqueramur.

II.

HOMO primâ ætate calidiſſimus & humidiſſimus, poſtremâ fit frigidiſſimus & ſicciſſimus; Illa, infantia dicitur, quâ nativo humore delibuta membra mollia ſunt, ductilia, & in omnem partem flexibilia: hæc, ſenectus, quâ ob ſiccitatem adeò redduntur rigida & contracta, ut vix moveantur abſque dolore; jurè dicitur miſera quæ facit infirmum corpus, privat omnibus voluptatibus, nec procul abeſt à morte. Inter haſce duas ætates aliæ intercedunt quæ caloris & humidi mutatione definiri ſolent; calor in infantulo ab ergaſtulis matris mox erumpente licet intenſiſſimus, tamen proprio humore revinctus blandè micat, necdùm vires ſuas in apertum exerit, at paulatim illum ſorbens, neſcius ſibi moliri exitium, luculentius effulget, ſcintillat, rutilat, & in dies acuitur, ſiccitate limâ ejus accedente: Hinc aliquantulùm uſto humore, qui ante præpeti curſu huc & illuc oberrabat ſine lege, in ſe colligitur, latiùs emanante flammâ depreſsâ, tum viget animus, floretque mens, ut ſit ſplendore ſicco nihil illuſtrius, unde heroës & ingenio excellentes melancholici. Interim tandiu vita non ſtaret, nec ultra ſeptimum diem excurreret, niſi in decedentis humidi locum novum accederet ex alimento; alimentum prorsùs nullum confici integré atque omnino poteſt, ex quo peregrinæ & inſociabilis materiæ congeſtio fit, quæ inania locorum perreptans calorem inibi repoſitum, atque cubantem hebetat, vitæque curſum frangit, morborum omni colluvie inde manante. Alimentum potus comitatur, continuò ſpirandus aër, motus, quies, ſomnus, vigilia, excreta, retenta, & animi pathemata, ſunt res à quibus immunis vita eſſe non poteſt, hæ vi ſuâ in nos agunt, vitæque principia pariter alterant; quod ſi his ita probè noris uti, ut lapſum quod erit humidum reſarcieris altero tolerabilis conditionis, & excrementorum auctioni poſueris moras, cauſis internecionem noſtram admolientibus nonnihil obſiſtes.

III.

MEDICINA omnium artium præſtantiſſima eſt, cujus præ cæteris firma ſunt præcepta; inter ejus partes ὑγιεινὴ nobilior audit, hæc rerum quibus vita tenetur cuique pro natura congruentem uſum decernit, ejus ni legibus pareas incaſſum occurrere tentas cauſis interitus, illum potiùs accerſis, quas ſæpé qui ſpernit, inſcius ſequitur, iiſque gravia damna arcet queïs aliàs eſſet affligendus. Nullius adeò ſtabilis, conſtanſque valetudo, ut à levioribus erratis aliquid non patiatur mali; ſanitatis magna latitudo eſt; perfectè ſanus nemo ſtatim ægrotat, ſed ſenſim minùs exquiſitè ſanus redditur, ſic quæ actio actutùm non

cernitur læsa, tamen paulatim deficit. Quidam addicti consuetudini huic uni obtemperandum putant, sed frustrà, nisi priùs illam ars probarit: Ex malarum rerum assiduo usu id tantùm commodi nanciscimur, ut minore incommodo his postmodum utamur, sic sub fallacis familiaritatis larvâ mala tegitur indoles, quæ statim occasione datâ nos fiduciæ nimiùm facilis arguit.

I V.

AD caloris nativi symmetriam conservandam magna vis est aëris; purus quidem illum gratiosè recreat irroratque, quem impurus atque putrescens corrumpit: sic qui fervet impensiùs, aut ad extremum rigescit, gravi ipsi nocumento est, illo affatim resolvitur, vanescitque in tenues auras, hoc addensatur propriisque suffocatur in laribus. Nec minor quàm aëris cibi & potus habenda ratio; qui se cibis ingurgitat, non se, sed suam ipse perniciem alit; ciborum ingluvie calor atteritur, excrementorum festinanter adauctâ congerie: Verumtamen exactâ ad unguem diætâ macerare corpus ut vacet impuris humoribus, desipientis figmentum est; ventriculus non fruens alimento debito, à circumjacentibus partibus saniem quandam biliosam pellicit, ex quâ non potest fieri sanguis laudabilis in corde, qui arterias validè agitet. Qui se excrementis liberare student, utantur cibis qui sint boni succi, facilisque coctionis; an piscibus omnino abstinendum? Credat Iudæus Apella, non ego; quo tempore mediocri ac refrigerante opus est victu, his selectis ac debitè præparatis nihil præstantius, vere calido humido, sanguine exundante, horum usus salubris. Pro potu vinum largiùs sumptum omnibus incommodat, hoc in obruto pectore non potest læta viridisque germinare virtus, solùm ipso turgidulus ac onustus venter luxuriosè despumat in libidines, nec dubium eo decurtari vitam eius fautore humido confertim abrepto; ut corpus meliùs habeat se se, in mense ad vomitum vino proluere, Arabis enorme commentum; nemini tamen ex ephebis excedenti non proficuum magnæque frugi est, id dilutum plus vel minùs pro temperamentorum & temporum anni varietate, senibus præsertim nativo humore penè exutis & inopiâ caloris algentibus, utrâque qualitate egregiè succurrit; querulorum melancholicorum unica medela.

V.

PLVRES occidit gula, quàm gladius; impurum corpus quò magis nutris, magis lædis; labor cibum præcedat moderatus, seu cui meta sit anhelitus alteratio, quo spirituum promptiore facto decursu referentur meatus, forasque elidantur excrementa; illum quies excipiat. Non minùs ad incolumitatem animalis vigilia & somnus sibi debent succedere, illa digerit, hic coquit, digestionis amica lux est, nox coctioni commodat, quo pacto diù vigilandum, noctù dormiendum quousque appareant signa peractæ coctionis, ventriculi levitas, ructuum absentia, & novi roboris accessio, ultrà si pergas, vitam tuâ

culpâ facis breviorem. Venus extra pubertatis annos omnibus convenit moderata, quam nec dolor nec languor consequitur, à somno præsertim; ne coctio perturbetur, cruditasque gignatur; semen, residuum illud glutinis quo partes aluntur, effusioni à natura destinatum, si retinetur plus æquò, putret fitque venenum, optimâ indole in pessimam conversâ; neque tamen id effutiendum temerè, nè breve diluendum sit gaudium longis lachrymis, ex uno infesto coitu mille malis sobolescentibus; multi, ut spumantis libidinis acres deviteut morsus, se se exanimant, atque interimunt restrictiore victu, vis tu ab his immunis esse, ne loca clausa otiosus incolas. Hinc ἀπάθεια Stoïcorum procul exulet, homini non est cor ferreum, gaudium & spes sunt ita naturæ familiares, & amici motus, ut his jucundè refocilletur nativus calor, totiusque corporis melior ac florentior enitescat habitus: adeò nequiter & flagitiosè dictum, quod qui medicè vivit, miserè vivit, cùm id ars medica præstet, ut productiorem non modò, sed & ærumna omni & languore liberam vitam agamus, qui summus fœlicitatis est apex.

Ergo vita nullis Medicinæ legibus adstricta brevior.

Proponebat Lutetiæ CLAVDIVS GVERIN, Parisinus, A. R. S. H. M. DC. LXVII.

PARISIIS,
Ex Typographia FRANCISCI MUGUET, Regis ac Illustriss. Archiepiscopi Paris. Typographi.